QVÆSTIO CARDINALITIA.

MATVTINIS DISPVTATIONIBVS DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE 27. MENSIS FEBRVAR. MODERATORE MAGISTRO IOANNE DEGORRIS, REGIS CONSILIARIO ET MEDICO ORDINARIO.

666

An Medicorum Pariſienſium frequentes Phlebotomiæ, iure vel iniuriâ accuſantur?

SCHOLA Pariſienſis Alumna Medicæ veritatis, apud Eraſiſtratæos [a] Αἱμοφόβοις frequentioris venæ ſectionis rea, ad Hippocratis Galeníque tribunal his rationum momentis prouocat. Sanguis vt vitæ, ſic plerúmque mortis author, ex ſuccorum quatuor naturalium æquabilitate [b] conſtat. Horum ſinguli, aliàs ſecundum naturam, aliàs præter naturam conſiſtunt: Secundum [c] naturam, cum decoram & conſentaneam, tum qualitatem, tum quantitatem obtinent; Præter naturam, cum vel qualitatis [d], vel quantitatis modum non tenent: Inde fiunt Plethora & Cacochymia: Illa ſuccorum omnium æquabilis redundantia [e] eſt; ſiue ſincerioris [f] ſanguinis ſumma vbertas in venis & corporis habitu; Hæc vitioſitas [g] humoris, in omnes & ſingulas corporis partes diffuſa: vtráque quia morbi cauſa exiſtit, ſi emendari aliter non poteſt, protinus auferenda expellendáque eſt; hæc vero illius expulſio, euacuatio eſt, quæ varijs ſubſidiorum generibus comparatur, quorum primaria ac præcipua ſunt Purgatio atque Venæ ſectio; Illa ex humorum peccantium, & morborum obſeruatione multiplici minus [h] ſecura; hæc obſeruationum paucitate tutior [i] atque facilior; hæc ſæpe diuinos & admirabiles parit euentus [l]; Purgatio ſi benignior, rarò deſideratos [m], Validior infœlices [n], Moderata, vt moderatis opportuna, ſic in acutis affectibus raræ [o] neceſſitatis, ſolis eorum, velut hoſtis triumphati reportandis exuuijs efficax eſt, humore expurgato, cuius acumen & impetum prius fregêre fidâ coctione [p], vel Natura, vel venæ ſectio, tuta acutiſſimorũ anchora [q], & Auguſtiſſimum Artis Palladium; fremant frendant licet Αἱμοφόβοι, qui Paracelſi glandes, Hippocratis Galeníque frugibus anteponunt.

VERVM vt remedium vnumquódque, ita Phlebotomiam conuenienter adhiberi neceſſe eſt: Remedij genus, & vtendi modum ſubminiſtrabit Ἔνδειξις idonea, ſine quâ medendi methodus [a] fruſtra tentatur: hæc agendorum inſinuatio [b] eſt, petenda à rei natura [c]; quæ vna [d] cum ſit, ab vno vnum per ſe & primò ſignificari, non vero plura cenſemus [e]: Significant vero [f] tria; Res naturales ſui maxime [g] conſeruationem; quæ præter naturam ſunt, depulſionem [h]; Non naturales pro ſuâ ad vtrumuis propenſione hanc illámue ſibi [i] depoſcunt: Ἔνδειξις θεραπευτικὴ ſoli debetur præter naturã [l] affectui; Magno, paruo, par & æquale gradu [m] contrarium: Acutis, & magnis omnibus [n] venæ ſectio, ex eorum magnitudine & ægri robore æſtimanda: Magnitudo ex affectus eſſentiâ, ex afflictæ partis præſtantia, & ſymptomatum acerbitate [o]: ſola verò, cum viriũ robore cõiuncta morbi magnitudo, primaria eſt [p] venæ ſectionis ἔνδειξις quia debetur in primis τῷ μεγάλῳ πάθει μέγα [q] βοήθημα. Enimuero cum ſit euacuans, reuellens, refrigerans, deobſtruens, & expurgans auxilium [r], quî magnus morbus eſſe poſſit, qui hâc, aut illa ratione miſſione ſanguinis non gaudeat? Vtendi modum perfectius & exquiſitius præſcribet, temperamẽti [ſ], habitus [t] corporis, ætatis [u], anni temporum [x], cœli [y] ſtatus, [z] conſuetudinis, & virium [aa] obſeruatio, quia ſυνενδεικνύμενα [bb] ſunt, ἢ ἀντενδεικνύμενα [cc]: Eſt hæc apud Iudices æquiſſimos, Hippocratis & Galeni legibus tàm lex conſentanea, vt in morborum ſequentium curatione aberrare profecto ſinat neminem.

PLETHORÆ puræ, ex optimorum ſuccorum pari portione, vnicum ac proprium remedium [a] eſt Phlebotomia: nec non impuræ quæ cacochymiæ particeps eſt [b], ſuccurrit; Calidæ quidem bilioſæque plenitudini [c] tutiſſimè; Parcius [d] melancholicæ; Pituitoſæ omnium [e] certè minimè: Simplici quoque venarum cacochymiæ, quæ in venis citra plenitudinem conſiſtit [f], medetur; Quæ vero viſcerum vitio genita eſt, aut partis alicuius ſubſtantiam, vel corporis habitum occupauit, medicamento in primis [g] non venæ ſectione ducenda. His adducti legibus, omnium tum interiorum, cùm exteriorum partium inflammationibus venæ ſectione [h] medemur, ſanguinis [i] ſputo, incipienti [l] tabi, ſanguinis [m], vomitioni, & eruptioni quæ ex [n] naribus, vtero [o] vel hæmorroide [p] plenius erumpit; Inſuper carbunculis [q], furunculis [r], ſcabiei humidiori, quæque huius conditionis & naturæ ex impurâ plenitudine emergunt; Illa nec non ſaluberrima eſt febribus omnibus quas putreſcens humor [ſ] accendit; Sed & partium affectus quamplurimos, lethargum [t], vertiginem [u], apoplexiam [x], epilepſiam [y], paralyſim [yy], phrenitidẽ [z] cordis [aa] παλμὸν, acres mordacéſq; [bb] oculorũ fluxiones, vel præſentes miſſione ſanguinis curamus, vel impendentes, conſuetos aut anniuerſarios, eâdem anteuertimus: Adhæc, hydropẽ imminentem à ſolemnis effluuij [cc] ſuppreſſione, dolores [dd] acerbiſſimos, alui [ee] fluores bilioſos, morbillos [ff], peſtem atque [gg] peſtilentes febres: Tam illa ſe latè diffundit grauiſſimorum affectuum medicatrix φλεβοτομία; Non ſeni, puero, vel prægnanti [hh] inimica; Non diuturnis morbis [ii] aduerſa; Omni acutorum [ll] tempore, demptâ, [mm] nec demptâ [nn] declinatione procuranda.

QVID ſi vero pluries repetitâ, nondum ſatis accedat ægro leuamenti? Non ſunt venæ ſectiones numeris, ſed neceſſitatis legibus [a] metiendæ: Artem στοχαστικὴν facit maximè [b] obſcura remedij quãtitas, Neque ad miſſionem ſanguinis idoneam, certam vbique fidem dederint cõmemorata ſυνενδεικνύμενα, Nõ ſanguinis color [c] & qualitas, Non ipſe defectus animi, [d] vel pulſus [e] mutatio, Verũ aliæ potiores obſeruationes adhibendæ ſunt ad quas dirigi curantis conſilium debeat; Sed quam, vel peritiſſimo medico illud perarduum, niſi ſpectetur non quæ ætas [f] ſit, neque quid in corpore intus geratur, ſed quæ vires ſint; Poſt quater quinquiéſue iteratam ſanguinis miſſionem, æger ſynocho pariter exæſtuat, Pleuriticus anhelat, Angina fauces angit; quis decoctis, quis iuſculis alteratis, quis illîc purgationi locus [g] ἀξίως τῆς περιβολῆς [h] τῆς νόσου? quin pro viriũ raõe, toties [i] venã tũde, λαυρῶς, ἰσχυρῶς, ἢ κατ' ἐπαφαίρεσιν; vel quia ſic iubet raõ [l] magnitudinis; vel quia extremis morbis extrema exquiſitè remedia [m] debẽtur; vel quia ſpes dubia certâ deſperatione [n] potior eſt; vel quia deniq; nullum phlebotomiâ liberâ & liberalli [o] præſentius; Sed ô friuolã & inanẽ Αἱμοφοβίαν; ſanguinem adusq; λειποθυμίαν Hippocrates [p] & Galenus [q] miſêre, Nos haud quaquã; Illi librarum, nos vnciarum ponderibus: Meminit Galenus ad ſex vſque libras detractum [r] ſanguinem ſic reſtinctâ febre: aliàs in oculorum phlegmone [ſ], tres primũ libras miſit, horis dein quatuor exactis librã, vnde ſalus illicò ſequuta: Necnon mulieri longò morbo attenuatæ, deridentibus licet medicis, [r] ſeſquilibram primo die, libram altero, tertio vncias octo detraxit ſic ſalute reſtitutâ: Quantum denique illius in adoleſcente, qui perfrigeratis ſpirandi inſtrumẽtis [u] in αἱμόπτυσιν copioſam incurrerat, miſſione ſanguinis biduò quater repetitâ? Sed & tabidum, ſectâ, ἕως ἔξαιμος ἐγένετο, in vtrâque manu venâ liberauit Hippocrates [x] venæ ſectionis amator [y] eximius. Eſt igitur iteranda phlebotomia, quoties [z] vires ferent, & morbi magnitudo, etiamſi morbi dies xx. agatur.

HIC excandeſcis Αἱμοφόβε, nullum ſcilicet Aſtralibus tuis, ſali, Mercurio atque ſulphuri locum derelictum vides: Sed contemplâre temetipſum, Quoties tibi de nare, vel hæmorroïde, vel accepto vulnere; quoties menſtruali, vel puerperæ, ad x. & xii. librarum pondus ſanguis exceſſit vitâ incolumi: habere corpus hominis εὔσαρκον probéque temperatum ſanguinis libras xxv. ſcripſit Auicẽna: Vidit Amatus, [a] quorũ è naribus fluxerint per dies quinque, [b] libræ xx. & xxii. exiguâ virium offenſa: Scripſit [c] Donatus in muliere, ſeptem & octo menſium ſpatio, iteratam bis & ter phlebotomiam ſeptimanis ſingulis ad vncias ſeptem & octo vitâ ſuperſtite; Vidi cui Anginoſo detracta fuêre triduo xlviii. ſanguinis vaſcula ſanitate reſtitutâ: Tædet huius claſſis infinita Lutetiæ Pariſiorum exempla recenſere: Quid ſi vero inſuper haud leuibus argumẽtis euincam, ex liberalliore, ceu Pariſino victu, gigni quotidie in nobis ſanguinis quaſi libram & à membris exorberi? Sed iſta captum ſuperant imperitæ multitudinis, quæ hoc ſolum nouit, infamare præſidia quæ non dedêre omnibus ſalutem, quaſi ſi quis artem medicus, is & artis euentum præſtare ſemper debeat, nec ſua cuíq; ſit μοῖρα παρωμένη. Hanc ignaræ plebi mentem inijciunt pſeudomedicorum ſuſurri, qui iam Galeni amorem & doctrinam excuſſêre, Hippocratẽ cœperunt odiſſe, vt Paracelſum Ἀμέθοδον obtrudant: Sed erit antiquæ veritatis fautrix, & vindex Schola Pariſienſis, tuos Αἱμοφόβε rumores contemnet, qui dum animoſitatem, quâ in eam tenêris, viceris, tum demum veritatem tenêre poteris quâ vinceris.

Ergo Medicorum Pariſienſium frequentes Phlebotomiæ, non iure, ſed iniuriâ accuſantur.

Proponebat Lutetiæ GVILLIELMVS DV PRE', NORMANVS. Anno R. S. H. M. DC XXV.

Confirmatio Theſeos ex Hippoc. & Gal. locis.

Loca primi Corollarij.

- a Conſtat ex G. Libello toto de venæ ſect. aduerſ. Eraſiſtratum & Eraſiſtratæos.
- b G. Comm 1. in l. 1. Hippocr. de nat. humana textu. 39.
- c Hipp. l. 1. de nat. hum. t. 19. 20. Gal. 8. de placit. H. & P. c. 6. & l. de plenitud. c. 10.
- d G. 9 meth. c. 11.
- e G. 13. meth. c. 6 & lib. de plenit. c. 11. & 3. de ſanit. tuend. c. 9.
- f G. 2. κατὰ τόπ. c. 3.
- g G. 13. meth. c. 3. & 3. de temperam. c. 3.
- h G. lib. de venæſ. aduer. eraſiſt. c. 7. & comm. 2. in l. de victu acut. t. 11.
- i G. Ibid. & l. de cura per ſang miſſ. c. 12.
- l G. l. de cur. per ſang. miſſ. c. 17. & libello toto.
- m Aſſertionis ratio ex 9. meth. c. 15.
- n G. 3. de ſimpl. facult. c. 27. 28.
- o Hipp. aph. 24. ſect. 1.
- p Hipp. aph. 22. ſect. 1.
- q G. l. de cur. per ſang. miſſ. c 12.

Loca 2. Corollarij.

- a G. 2. meth. c. 7.
- b G. Ibidem.
- c G. Ibidem & 11. meth. c. 15.
- d G. 4. de ſimpl. facult. c. 15.
- e G. 9. meth. c. 12.
- f Aſſertionis ratio ex 9. meth. c. 14.
- g G. 3. meth. c. 3.
- h G. Ibidem & 14. meth. c 13.
- i Aſſertionis ratio ex 9. meth. c. 14.
- l G. 4. meth. c. 3. & 4. & 9. meth. c. 9. & 9. meth. c. 15.
- m G. 9 meth. c. 15. & 3. meth. c. 9. & 1. κατὰ γένη. c. 3.
- n G. 4 meth. c. 6. & Hipp. 4. de vict. in acut. t. 16. 19. & l. de cur. per ſang. miſſ. c. 10.
- o G. 7. meth. c. 12 & 1. de criſib. c. 3.
- p Hipp. 4. de vict. in acut. t. 19. & Gal. in cõment & l. de cur. per ſang. miſſ. c. 13. & 9.
- q Aretæus.
- r G. 9. meth. c. 11. & 8. meth. c. 4. & l. de cur. per ſanguin miſſ. c. 12.
- ſ G. 7. meth c. 13.
- t G. 9. Meth. c. 17. & 1. ad Glaucon. c. 14.
- u Ibidem & l. de cur. per ſang. miſſ. c. 9.
- x Ibidem & l. de cur. per ſang. miſſ. c. 9.
- y Ibidem & 1. ad Glaucon. c. 14.
- z Ibidem & 1 ad Glauc. c. 14.
- aa G. l. de cur. per ſang miſſ. c. 12. & 9. meth. c. 7.
- bb G. 13. meth. c. 16.
- cc G. l. de cur. per ſang. miſſ. c. 13.

Loca 3. Corollarij.

- a G. l. de cur. per ſang. miſſ. c. 6. & comm. 6. ad aphor 47.
- b G. 9. meth. c. 5. & 11. & 8. meth. c. 4. & 4. de ſanit. tuend c. 4.
- c Aſſertionis ratio ex 4. de ſanit. tuend. c. 4
- d Aſſertionis ratio ibidem. & l. de cur. per ſang. miſſ. c. 16. & 3. de loc. affect. c. 7.
- e Aſſertionis ratio ex 4 de ſanit. tuend. c. 4. & G l. de cur. per ſang. miſſ. c. 6. 9. & 10.
- f G. 8. meth. c. 4.
- g G. l. de purgant. medic. facultat. c. 5.
- h G. l. de cur. per ſang. miſſ. c. 8. & 19. & comm. 1. ad aph. 23. & lib. toto 13. meth.
- i G. l. 5. meth. c 8. & 13.
- l Hipp. 5. epid. initio & Gal. comm. 3. in 6. epid. t. 29.
- m G. l. de venæ ſect. aduerſ. eraſiſt. c. 8.
- n G. l. de cur per ſang. miſſ. c. 11.
- o G. Ibid. & 5. meth. c. 3.
- p G. l de cur. per ſang. miſſ. c. 19.
- q G. 14. meth. c. 10.
- r Aſſertionis ratio ex G. 5. κατὰ τόπ. c. 7.
- ſ G. 11. meth. c. 15.
- t G. 13. meth. c. 21.
- u G. l. de cur. per ſang. miſſ. c. 10. 7. & 19
- x Ibid. c. 7.
- y Ibid. & c. 10.
- yy Ætius tetrab. 2. ſerm. 2. c. 8. & Trallian. l. 1. c 6. & Ægin. l. 3. c. 18.
- z G. 13. meth. c. 21.
- aa G 5. de loc. aff. c. 2.
- bb G. 13. meth. c. 22. & 4. κατὰ τόπ. c. 1. & 8
- cc Hipp. l. de victu in acut. & G. comm. 4. in eum lib. t. 111. & c. 5. de venæſ. aduerſ. Eraſiſtr.
- dd G. comm. 1. ad aph. 23.
- ee Aſſertionis ratio ex G. 2. ad Glauc. c. 2. & 7. meth. c. 11.
- ff Auicen. l. 4. fen. 1. tract. 4. c. 10.
- gg G. 14. meth. c. 10. & 11. meth. c. 15. & comm. 3. in 1. Epid. t. 26. & 1. de differ. febri. c. 4.
- hh Celſ. l. 2. c. 10. & Gal. l. de cura per ſang. miſſ. c. 13. & comm. 4. in lib. de victu in acut. t. 19.
- ii G. comm. 4. in lib. de vict. in acut. t. 19.
- ll G. l. de cur. per ſang. miſſ. c. 20.
- mm G. 3. de criſib. c. 5.
- nn G. l. de cur. per ſang. miſſ. c. 21.

Loca 4. Corollarij.

- a G. 9. meth. c. 5. & l. de cur. per ſang. miſſion. c. 20.
- b G. l. de cur. per ſang. miſſ. c. 12.
- c G. l. de venæſ. aduerſ. eraſt. c. 7.
- d G. comm. 1. ad aph. 23.
- e G. l. de venæſ. aduerſ. eraſiſt. c. 7.
- f Celſ. l. 2. c. 10.
- g G. comm. 2. in l. de vict. in acut. t. 11.
- h Hipp. 1. epid. ſect. 2. & 2. epid. ſect. 2.
- i G. 9. meth. c. 5. & l. de cur. per ſang. miſſ. c. 12. & comm. 2. in l. de vict. in acut. t. 11.
- l G. l. de cur. per ſang. miſſ. c. 13.
- m Hipp. aphor. 6. ſect. 1.
- n Celſ. l. 5.
- o G. comm. 1. ad aphor. 23.
- p Hipp aphor. 23. ſect. 1. & 5. epidem. initio.
- q G. l. de cur. per ſang. miſſ. c. 12. & 14. meth. c. 10. & comm. 1. ad aphor. 23.
- r G l. de cur. per ſang. miſſ. c. 12.
- ſ G. l. de cur. per ſang. miſſ. c. 17.
- t G. Comm. 3. in 6. epid. t. 29.
- u G. 5. meth. c. 13.
- x Hipp. 5. Epid. initio.
- z G. 9. meth. c. 5. & l. de cur. per ſang. miſſ. c. 20.

Loca 5. Corollarij.

- a Amatus Luſit. centur. 2. curat. 100.
- b Ibidem & in ſcholio.
- c Marcellus Donat. l. 4. c. 3. hiſtor. mirabilis.